

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS

MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM

Die Iovis 28. Novembris.

M. CLAVDIO BERGER, Doctore Medico, Præſide.

An puerperæ febri correptæ, purgamentis defectæ, cædendæ cubiti venæ.

I.

FEBRIS calor eſt peregrinus & igneus, in corde & ſanguine univerſo ſuccenſus; cujus nec ratio, nec origo eſt una. Interdum enim ſimplex eſt & ſolitarius: Interdum prodit magnâ leviorum, graviorum affectuum catervâ circunſeptus: nonnunquam ſilentio, obſcuriſque ſubit initiis: nonnunquam ſubitò emicat: nunc lentè macerat; nunc apertè furit; nunc aſſiduè ſimulque uno tenore torret; nunc & certis excandeſcit horis; nunc ſopitus ſtatis diebus reviviſcit. Eſt ubi qui ignem cepit, fovetque humor, nullâ putredinis labeculâ aſperſus ebullit. Eſt ubi fœdâ lue pollutus diverſas profert ſpecies febris,

continuæ, intermittentis, tertianæ, quartanæ, exquiſitæ, nothæ. Is porrò morbus nulli parcit corporis parti, nulli ætati, nulli ſexui: ſæpius tamen adoritur ſollicitos, iracundos, crudos; macie, inediâ, labore confectos, otioſos, vigiles, perpaſtos, qui præter morem nitent, nimioque cibo, nimium fecére corporis: rariùs ambigui vultus homines.

II.

FEBRIS omnis (præter illam cui, quòd parti cuipiam accenſæ, tabeſcenti, ulceroſæ, aut adcorruptelam eunti ſuperveniat, ſymptomaticæ nomen eſt poſitum) à conflagrante, ſæpè & à putri ſanguine ortum ducit. Hic veluti caloris eſt unica ſedes; ſic & proxima febris eſt cauſa; tametſi aliud ſit ſubjectum. Qui fugax, minuſque conſtans eſt calor, partivè dumtaxat uni inſedit, aut ab unâ latè in aliquas alias: at non in omne corpus ſpargitur; haudquaquam febris appellatione continetur. Ad rem quoque pertinet quibus in locis ferveat, putreſcatque ſanguis: In membris, ductibuſve longiùs à corde diſſitis, ereſypelata, Phlegmonas, abſceſſus, tubercula, puſtulas, maculas, pruritum, ardorisve ſenſum excitat; neutiquam febrem: niſi flammam inde rapuerint majora, quæque cordi propiora ſunt vaſa: ut remotiora febrilis iſtius pabuli nihil, aut quàmminimùm recondant. Hinc toties febri jactatos fruſtrata eſt ſpe ſummâ ſperata ſalus ex largâ profuſione ſanguinis è naribus, podice, utero, etiam rato temporis circuitu ſeſe repurgante.

III.

PUERPERÆ ad febrem ſunt paratiſſimæ: quamdiu enim fœtus uteri umbraculis tegitur, ipſo ſanguinis flore, parte ſcilicet puriſſimâ, ſuaviſſimâque reficitur; ut ſuperſtes facilè ſupervacanei reſidis contagione inficiatur, magno fœtarum damno, quibus propterea ſtatim à conceptu languent oculi; pallet violâ tinctus eorum ambitus; eaſdem mox infeſtant faſtidia, anxietas, animi defectio, nauſea, vomitio, perdita, vel certè rerum alieniſſimarum appetitio. Auget hæc mala liberiùs vivendi poteſtas; largiorque, nec benè modificatus cibus, quo

ociosæ implentur: omiſsâ ſiquidem exercitatione, quâ calor blandè exſuſcitabatur, parteſque omnes quaſi flabello ventilabantur; corpus cùm ſuâmet, tùm impuritatis mole gravatum torpet. Ita putredinis in dies tacitè gliſcentis vitio contaminatus ſanguis, crebris ac laborioſis niſibus, crebriſque, quibus parturientes ardent doloribus, tanquam admotis facibus promptiſſimè inflammatur.

IV.

QVÆ fœtum ex uteri latebris, ſuiſque involucris evolutum ſubſequuntur λόχεια variis ex cauſis plerumque cunctantur: nec rarò, velut obſignatis quibus deſiliebant oſculis, derepente conſiſtunt. Sæpè metu, triſtive nuntio; utero, ipſiſque purgamentis à calore derelictis: ſæpius obortâ febri, ignitiſ-ve muliebribus locis; calore nimio exſiccante, depluentemque colluviem, injectis quaſi manibus cohibente. Tum quippe ſolitò tenerior, amplior, & ſpongiæ inſtar laxior, plurimoque, quem combibit ſanguine turgidus enixarum uterus; acerbis autem partus cruciamentis diſtractus & attritus, injurias vel leviſſimas vix impunè tolerat; ut illius inundantis lentore, pigretur; fervore, æſtuet; mole, opprimatur; putredine, corrumpatur, tantò certiùs ſuâ νεκρώσει corporis univerſi ruinam ſecum ducturus, quantò id celeriùs febrili ardore conſumitur.

V.

AD comprimendam febrem refert unde fundatur ſanguis. incisâ quæ ad malleolum excurrit venâ, ejus quidem copiam: at neque putredinem, ferè enim ruber floriduſque exilit; neque febrem illius alumnam, diminues; neque, quidquid garriat vulgus imperitorum, quidquam revelles ab utero. Planè quemadmodum hic, menſtruâ purgatione; puris emunctione, ren; ſputis rejectis, pulmo; naribus ſanguine, mucóve manantibus, cerebrum, excrementorum onere preſſa ſingulatim levantur; non univerſum corpus: ſic recluſo tenui ſaphenæ rivo, depletur privata ſedes; de tabo febriſque nutrice colluvione, quam intima cœlant præcordia, nihil

aut quàm parciſſimè demitur. Deferenda ejus rei palma grandioribus, ſectúque facillimis cubiti venis, per quas è proximo, & imo ſpurcioris putredinis fonte citiſſimè, pleniſſiméque hauritur; illâ diſſipatâ, ſedatoque æſtu, & laxatis ſpiramentis quibus ſubit aër, abeunt fumi, febris jugulatur, cor vicinum, cœteræque multi caloris partes præcipuæ recreantur, currentis ad ægrum uterum ſanguinis impetus ſiſtitur. Tum ut, rebus omnibus ſolutiſſimis, ſeſe collegit reddita ſibi quâvis arte potentior Natura, adſuetam fortius præſtat vicem: quidquid vitiosè ſe habet, aut ſuperfluit; ſecretum abigit à corpore, ipſum denique uterum multâ ſorde impeditum, unà egregiè expedit.

Ergo puerperæ febri correptæ, purgamentis defectæ, cædendæ cubiti venæ.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Robertus Raoult.
M. Mattheus Thuillier.
M. Ioannes Baptiſta Ferrand.
M. Carolus Marteau.
M. Antonius le Moine, Scholæ Profeſſor.
M. Guydo Creſcentius Fagon, Familiæ Reginæ Medicus ordinarius.
M. Claudius Guerin.
M. Petrus Yvelin, Medicus Regis Ordinarius, & ſereniſſimæ Aurelianenſium Ducisſæ Medicus Primarius.
Mathurinus Denyau, Profeſſor Regius.

Proponebat Lutetiæ LVDOVICVS GAYANT, Pariſinus, A. R. S. H. M. DC. LXIX.

PARISIIS,
Ex Typographia FRANCISCI MUGUET, Regis ac Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Pariſienſis Typographi.